AUGUSTISSIMI CÆSARIS,
& S. IMPERII ROMANO-GERMANICI,
Horumque Vasalli
SERENISSIMI DUCIS ESTENSIS,
MUTINÆ & REGII. &c.

JURA IN COMITATUM COMACHIANUM,

Cùm

In Illustri Collegio Tubingæ publicam Jurium Professionem auspicaretur,

Solenniter discussa

à

PHILIPPO LUDOVICO BRENNERO,
Serenissimi Würtembergiæ Ducis Professore Extra-Ordinario, & Serenissimi Principis Hohenzollerani Consiliario, J. U. Licentiato.

TUBINGAE,
Apud JOH. GEORGIUM COTTAM.
Anno M DCC X.

EPHORUS
ILLUSTRIS COLLEGII
PHILIPPUS HENRICUS
A GÖLNIZ,
IN WALDENSTEIN.

L. S.

SCholas Publicas & Academias quin eo consilio saluberrimo instituerint priores, & hodieque novas condant magni Principes, ut cum Natura Usuque in formandis ingeniis decoris conjungatur Doctrina, nemo facile dubitaverit, qui institutum illud rectius intelligit. Neque hoc non ad eos pertinere, qui praecipue Reipublicae praeparantur, creden-

dum est: Siquidem eodem consilio Collegia Illustria Scholasque Equestres, in quibus nobili genere illustrique loco nati excoluntur, ita constituerunt passim per Germaniam nostram magni Principes, ut Viros in omni doctrinarum genere versatissimos erudiendæ Juventuti generosæ præficerent. Tametsi enim falli eos, qui prudentiam civilem vel ex solis hauriri libris, vel sine libris non addisci posse putant, non inficiamur, & in quibusdam naturalem ingenii solertiam, in aliis usum rerum, & per varia experimenta traductam vitam, in rerum & negotiorum vim idonea subtilitate aliquando penetrare, cum Illustri Forstnero in Hypomnematis Politicis, agnoscimus; rari tamen oppidò sunt, qui literarum omnium rudes, veluti Themistocles ex antiquioribus, præsentissimi in rebus omnibus consilii sunt atque judicii, aut, quemadmodum è junioribus Cominæus, solo usu rerum & naturali quadam judicii bonitate id consequuntur, ut arcana consiliorum videant omnia, penetrent atque eruant. Et sanè, præter Machiavelli, qui non modo non græce, sed ne latine quidem scivisse scribitur, exemplum vix prostat ullum, ut quis tam variè, quæ ad politicas artes pertinent, tradat, ut historias, Romanas, Barbarasque omnes pervolurasse videri possit. Scripsit enim ille omnium judicio acutissime & prudentissime, quamvis non pari ubique aut pietate, aut probitate, *Principem:* scripsit etiam *Dissertationes ad Livium, Historiam,* alia, in quibus, conferendo domestica exempla cum externis, vetera cum recentibus, similia cum similibus, non vulgarem prodidit prudentiam. At quis præterea scripsit omnium literarum rudis ac ignarus? Cæterum hac, & non alia mente, Serenissimum Principem, LUDOVICUM PIUM,

PIUM, Illustre inter nos Collegium ante hos centum, duosque & viginti annos, constituisse, tanto minus dubitare nobis licet, quanto certiores de ipsius sumus voluntate: quam gloriosi quoque in Principatu Successores adprobarunt, ut Viri docti subinde Illustrem hanc Scholam illustrarent, & qui, ut insita vis generosæ juventutis doctrina etiam promoveretur, rectique cultus pectora roborarent, idonea institutione elaborarent. Ita annus est, & quod excurrit, ex quo Serenissimus Princeps, Dominus & Nutritius noster Clementissimus, *Viro Nobilissimo, Consultissimo atque Excellentissimo*, DN. PHILIPPO LUDOVICO BRENNERO, Extraordinariam Juris Professionem hoc consilio ac voluntate commisit. Quo minus autem id munus solenni Oratione Auspicali adhuc adgrederetur, fecit nova, quæ primam hanc non multo post excepit, gratia, quando Serenissimus Princeps Hohenzolleranus Consiliarii Aulici spartam ei clementissime concredidit. Hac enim, præter alias, præcipue de causa, ut illam huc usque majori numero circumstantes valde arduas occupationes, sperato cum fructu, obire valeret, hunc ipsum muneris Professorii actum auspicatorium tantisper suspendere necessum habuit. Quod igitur nunc rite ut fiat, de vitæ studiorumque cursu ut pauca quædam ex more commemoremus oportet. Nimirum produxit in Orbem Virum Nobilissimum è nobilioribus incluti hujus Ducatus municipiis Nürttinga A. C. cIɔ Icc LXXXIII. D. XIX. Decembr. Patre, *Viro Amplissimo atque Prudentissimo*, DN. JOH. PHILIPPO BRENNERO, *Supremi in hoc Wirtembergiæ Ducatu Appellationum Tribunalis, & Selectioris Provincialium Statuum Collegii Assessore Gravissimo*,

ſimo, Spectatiſſimoque ibi Conſule, & per inclutum hunc Ducatum primarii propemodum Hoſpitalis Præfecto: Matre vero, Matrona optima, ſuique ſexus decoribus ornatiſſima, DN. ANNA MARIA, ex optimè merita BULFFINGERORUM familia oriunda, jam ante biennium inter cœlites recepta. Poſtquam autem in tenera confeſtim ætate Præceptoribus commiſſus ſub Paterno non minus, quàm horum pollice & ſollicito obtutu, neceſſaria ad verum Numinis cultum, tum & artes meliores, fundamenta jeciſſet, eum ulterioris uberiorisque bonæ mentis culturæ ergo illuſtre, quod metropolis noſtra alit, non erubeſcendum, quò enitebatur, omni tempore incolam excepit Gymnaſium: ubi cum Eloquentiam, Ethicam, Politicam, & Hiſtoriam, ultra biennium, ſub excellentiſſimis, eo tempore Profeſſoribus, Eſſichio, Reuchlino, Meurero, & aliis, de Scholaſtica juventute meritiſſimis Viris, digne excoluiſſet, ritu ſolenni vale dicto, Parentis juſſu, Illuſtriſſimam hanc noſtram Eberhardinam, non uno nomine ſibi commendatiſſimam, felicibus, primo hujus, quod degimus, ſeculi anno, auſpiciis adiit, & protinus privatis Inſtitutionum Juris prælectionibus Excellentiſſimi Domini Anteceſſoris D. Majeri, in nomine Numinis nomen avide dedit, inſimulque Moralem diſciplinam & Hiſtoriam tradentes, Excellentiſſimos in his & aliis ſtudiis Viros, Dn. Hochſtetterum & Neuium, audivit. Poſtea optime memor illius veriſſimi & tritiſſimi dicterii: *Bonus Inſtitutiſta bonus Juriſta*: Juſtinianei Juris Inſtitutiones, Excellentiſſimi Dn. Anteceſſoris D. Frommanni ductu, in Collegio, quod vocant, Lectorio Examinatorio atque Diſputatorio, dein etiam Pandectas ſingulari cum

cura

cura tractante Viro pariter Excellentissimo, Dn. D. Harpprechto, modò honoratissimo suo Domino Socero, Jurisque Publici & Feudalis praecepta, in privatis non minus, quam publicis Lectionibus, Excellentissimi Dn. D. Schwederi audivit, quaesitosque sub suis hisce ducibus profectus, in utilissimis etiam disputandi exercitiis, non tantùm compluries, cum adplausu Praeceptorum suorum, occupatis opponentium subselliis, verùm etiam publicae eruditorum trutinae submissis, atque masculè propugnatis disputationibus, altera quidem de *Actione Utili de Recepto*, altera vero, eaque Inaugurali, & pro Licentia summos in Jure honores capessendi, ex Magnifici & Amplissimi JCtorum Ordinis decreto, de *Jure Agnatorum in Feudis*, proposita, testatissimos facere omnibus viribus allaboravit. Nunc ergò in eo tandem est, ut novum sibi delegatum munus ritè ineat. Quare dicendi argumentum selegit selectissimum profectò, idemque tempori adcommodatum, illustrissimam videlicet hodienum inter Aulas Caesaream & Pontificiam, tum & Ducem Mutinensem, super Nobili Dynastia, vel si mavis Comitatu Comaclensi, seu Comachiano, in ora lacus cognominis sito, tantis utrinque animis eousque agitatam controversiam; Dignum, inquam, argumentum privata meditatione percoluit quod publice auribus avidissimis excipiatur. Ad quod audiendum, cùm & suprà humillimè à nobis laudato Serenissimorum Principum Binioni, pro singulari, quô in suum Professorem, & ex compluribus rerum argumentis jamdùm probatum Consiliarium propendet, clementiâ, per solennem, hunc Actum auspicatorium, Legationem collustrare sententia sedeat, etiam Magnificum Universi-

niversitatis Dn. Rectorem, omniumque Ordinum ac Collegiorum non modò Proceres, verùm etiam Cives, atque bonarum literarum fautores, ad proximum XXIII. d. Jun. perofficiosè invitamus, daturi cum Novo Professore nostro, cui ex animo simul benè precamur, operam, ut paria in eos nostra officia nunquam non constent. P. P. sub Sigillo Collegii Illustris Domin. I. post Trinitat. An. cIↄ Iↄcc X.

Serenis-

Serenissimi Principis ac Domini,
DOMINI
EBERHARDI LUDOVICI,
Ducis Würtembergiæ ac Tecciæ, Comitis Montisbelgarum, Dynastæ Heydenhemii, Sacræ Cæsareæ Majestatis, Imperii, & Circuli Suevici respectivè Campi Mareschalli, & Equitatûs Generalis,

Principis, Nutritii, atque Domini nostri munificentissimi;

Pariterque

Serenissimi Principis ac Domini,
DOMINI
FRIDERICI WILHELMI,
Principis Hohenzollerani, Burggravii Norimbergensis, Comitis Sigmaringensis, & Vöhringensis, Dynastæ in Haigerloch & Wörstein, Sacri Romani Imperii Hæreditarii Cubicularii, Augustissimi nostri Cæsaris & Imperii respectivè Campi Mareschalli, & Equitatûs Generalis atque Chiliarchæ,

Principis ac Domini Nostri itidem Clementissimi,

Legate Splendidissime,

Perillustris & Generosissime DOMINE,
DOMINE
PHILIPPE HENRICE de GÖLNIZ,
in Waldenstein, Serenissimi nostri Ducis intimioris admissionis Consiliarie, Supremi inter nos Dicasterii Præses, illustris hujus Collegii Ephore, Tubingensium Satrapa,

Domine perquam Gratiose.

Magnifice Domine Rector, Viri Illustris & Generosissime, maximè Reverendi, Nobilissimi, Consultissimi, Experientissimi, Excellentissimi, Praclarissimi;

Tuque reliqua Auditorum atque Studiosorum Corona, Generosa, Nobilissima, Clarissima, Ornatissima, undique Honoratissima.

QUantæ politiorum, in Republica omni, cultura literarum tùm necessitatis sit, tùm & utilitatis, justissimè vererer, si vel tribus duntaxat hic verbis præfari in animum inducerem, illam omnium invectivam: Cui non dictus Hylas Puer? Prodeat vel solus, omni ævo gloriosus, Theodosius Imperator, & hôc suô nos doceat augustissimo exemplo, qui suis subindè amantissimis Filiis, quò se, suasque actiones, & mores ad saluberrimam Disciplinæ & Artis Cynosuram componendo, imperio se dignos comprobarent & redderent, quòd satiùs cæteroquin prudentissimè judicaret, ut potiùs privatam exigerent vitam, quàm, nullâ ingenuâ imbuti doctrinâ, cum periculo imperarent, solertissimè inculcavit. Facessat è contra & in malam rem abeat, imò flammis in orco plectatur æternis apostaticum illud Juliani institutum, qui & ipsas Christianæ doctrinæ radices funditùs extirpaturus, etiam humaniorum culturâ literarum, ne vel ulli illas discerent, vel docerent, interdixit. Enimverò si quidquam, certè illud non minùs verè, quàm venustè, à nonnemine traditum: Si quis uspiàm in terris Paradisus sit reliquus, eundem in Scholis superesse & Tem-

Templis. Quod ipſum dùm mentem modò noſtram ſubit, anne quiſquam tàm iniquus rerum arbiter fuerit, qui ſiniſtrè hoc meum aſſertum exaudiat: Nos, in ipſo hoc almæ noſtræ Patriæ ſolo, hoc gaudere Paradiſo? Ecquid enim hoc noſtrum Illuſtre Collegium, cui ſimile vix tota Germania alit, aliud eſt, quàm ejusmodi amœniſſimus, ſi quidem nobiliſſimum ejusdem inſtitutum, ſi auſpicatiſſimam prioris ſeculi conditionem, ſi fructus ex illo in totum Imperium copioſè diffuſos paulùm recogitemus, equeſtrium præcipuè atque Principe dignarum ſcientiarum Paradiſus; Schola optimè ordinata, optimis Legibus, Privilegiis & Juribus munita; Hortus denique diſſuaviſſimus, undè tota totius Germaniæ Nobilitas flores valeat decerpere ſtudiorum equeſtrium atque literariorum omnem vitam fragrantiſſimos? Et profectò hôc tantô, ac tam auguſtô, Auguſta noſtrorum Principum Domus, beneficiô ſibi omnem, quantacunque eſt, Germaniam pridem reddidit vectigalem. Atque ne quid ingrata noſtrorum dierum oblivio his detrahat, primum hujus literarii Paradiſi Autorem veneramur *Chriſtophorum*, conſummatæ, inter omnes Germaniæ Proceres, Prudentiæ Principem, qui, ut ſemper eò omnes curas intendit, quomodò, Legum firmitate ſuum Populum devinciens, ejus incolumitatem, pòſt Religionis exactiſſimam curam, florenti Pace & ſummâ muniret tranquillitate, etiàm Nobilitati, quò in artibus & literis erudiretur, jamjàm hoc ipſum illuſtre Collegium in plenis non votis; ſed in actum propediem deducendis conatibus ſollicitè foverat; verùm, morte præventus, gloriam perficiendi auguſti operis in Filium tranſtulit ſucceſſorem *Ludovicum*, Principem, in quo Inſtitutio & Naturâ probi Prin-

 cipis

cipis ideam expressisse videbantur, suæ Lineæ novissimum. Prudentissimo Patris voto in eo quidem Princeps Ludovicus satisfecit, ut illustre hoc Collegium in istam, quæ hîc in oculis versatur, & quam Exteri summis concelebrant elogiis, amplitudinem, ingentibus impensis proveheret: Veruntamen & Ipse supremam tàm sancto Instituto manum addere, & illustre hoc sacrarium uberiùs dotare, bonis Legibus armare, Musarumque sodalibus animare non valens, ejus consummationem, omnisque honoris ac splendoris complementum Friderico Agnato enixiùs, supremis in tabulis, commendans fato concessit. Sed plus Heros *Fridericus*, ad stupenda Dei opera in his terris peragenda electus Princeps, tanto culmine dignarum & illustrium, in illustre hoc Collegium, curatum laudatissimè contulit, amplioribus Privilegiis & Gratiis dotavit, quàm vel Germanica, Musis dedita, Illustris & Nobilis Juventus usquàm sperare, vel invidia concoquere, vel agnoscere malevolorum lippitudo valebat. Ille quippe Fridericus, Serenissimæ, quaquaversùm hodienùm coruscat, Würtembergicæ Domûs felix sator & stator, ad invidendum hoc illustre Collegium illustrissimi splendoris culmen erexit, & ad ipsum honorum quasi solstitium, (Lansianâ mihi Suadâ hæc liceat efferre) magno equidem sumtu, majori verò gloria magnificè evexit. Sanè enim quàm rari in Imperio Principes universæ Germanicæ Nobilitati tale pandunt Hospitium, quod uno in loco literariis simùl & equestribus studiis tot præbeat commoda, tot emolumenta? Prorsùs incomparabilis, solâque istius Fridericianæ magnificentiæ apice digna gratiarum est series: Gratiosè domo excipi, parvô lautè haberi, ad omnem in Togâ & Sago virtutem,

tutem, omnemque, quæ veram Nobilitatem, omnem vitam, condecoret, elegantiam & gratis, & exactè institui.

Solennissimæ nobilissimi istius Lycei Inaugurationi præsens Dux Fridericus statim Filium Principem *Johannem Fridericum*, velut Obsidem amoris & perennis favoris, novo huic & Illustri Collegio concredidit, insimùlque æquissimo sancito dispofuit, ut imposterum quotumcunque Würtembergiæ Ducum literariis studiis in eodem excolendis dicati Filii, & ex pluribus Primogenitus, in memoriam incluti Principis-Fundatoris, Primas, præ cæteris, quantacunque dignitate eminentibus, Incolis, honorarii quasi Præsides in eodem tenerent. Divulgatâ hinc famâ, hoc novum illustrium Incolarum hospitium tantis sumtibus atque magnificentiâ extructum jam ad recipiendos tales Incolas aptum esse, tantâ indè ex omni Germaniæ parte illustris & literata Juventus, frequentiâ huc appulit, ut frequenter Sex, Septem, Octo, Novem, imò Decem simùl Principes aluerit, tantusque Nobilium, Baronum & Comitum hîc numerus confluxerit, ut non semel tàm vasti Athenæi amplitudo multitudini non suffecerit. Hujus omni encomio majoris Principis gloriosum ac cedro dignissimum exemplum laudatissimè subsequuti Serenissimi hujus almæ Charitiniæ Principes, Principes Filios & Fratres, Ephororum, quos semper sagacissimo selectu, pietate, prudentia, hujusque magistrâ rerum experientiâ, gravitate, suavitate, tùm & eruditione illustres, (qualem etiam Te, splendidissime Legate, perillustris Domine de Gölniz, Domine per quàm gratiose, modò deveneramur.) illustri huic suo præfecére Collegio, curæ commendarunt,

 simul-

ſimulque omnes propenſiſſimi in illuſtria iſta ſtudia animi affectus renovantes, Beneficia, Gratias, & Privilegia à divis Regiminis Prædeceſſoribus in hoc Nobile Lyceum magnificè collata, non minùs magnificâ clementiâ firmârunt. Et habebat profectò, Sereniſſime Dux *Eberharde Ludovice*, Princeps, Nutritie, ac Domine noſter munificentiſſime, quem omnes abſentem, ſubmiſſiſſimâ, ut præſentem, pietate veneramur, ante pauculos abhinc annos hoc illuſtre Collegium, de quo & Tibi, quantas animo concipere poterat maximas, humillimas, perſolveret gratias, quòd id tanto honorum auctario ditare, & Celſiſſimô rursùs Præſide, quæ ſpes tunc omnes pulcherrima fovebat, Tuô hactenus unigenitô (addat Deus huic plurà Sereniſſimæ Tuæ Domûs ſplendidiſſima aliquando Columina, & Lumina!) Principe Filio *Friderico Ludovico* clementiſſimè colluſtrare volueris: Recreabat nos non ſolùm auguſtisſima Principis tantæ ſpei præſentia univerſos mirificè; ſed & novâ quaſi animâ excitatum hoc Collegium, novi magnique Incolæ & Civis acceſſione in non dubiam ſpem priſtini ſplendoris & majeſtatis erigebatur. Verùm iſtam ſuaviſſimam almæ noſtræ Tubingæ, imò Patriæ univerſæ expectationem, bonæ ſpei pleniſſimam, ſubſecuta mox temporum, ex hoſtili illius inundatione, injuria præcluſit. Faxit verò Ter Optimus, Ter Maximus Deus, ut hoc Corculum Gratiarum, magnus olim magni Patris Succeſſor & Hæres, omnium ſuorum Prædeceſſorum prægloriosſiſſima decora colligat, & ſua faciat, ut in illo ſimùl, quæ ſingulæ in omnibus prædicantur, virtutum elegantiæ confluant, ut Honoris patrimonium à Progenitoribus Sereniſſimis relictum ſummorum aliquando in Patriam meri-

torum

torum incrementis adaugeat; ut denique laudes transgressus avitas, magnisque suis Majoribus major, omnes gloriâ superet; Fortuna ei serviat, obsecundet Natura, Cœlum ipsum applaudat, Æternitas faveat, foveat Ipsum, quod voveo ex humillimo pectore, ad Nestoream senectam horum omnium autor, fautor, & benignissimus diribitor Deus!

Nullus ambigo, Auditores omnium ordinum incluti atque æstumatissimi, hanc in laudes illustris hujus Collegii, Laconicam quantumvis, præfatiunculam faventissimum vestrum calculum hôc faciliùs meritùram, quòd extraordinariam Juris Professionem, clementissimo Serenissimi nostri Principis jussu, cœlesti, posthàc, clementia favente, in eodem obeundam non magis concinno, magisquè tali auspicatorio sermoni adæquatô exordiô auspicandam censuerim. Atquè utinam, dùm ista Professorii muneris primordia subeo, tàm disertum modò atque exercitatum vestris auribus oratorem memet insinuare possem, qualem vestra meritò expectatio exigit. Sed tametsi ad hoc necessarias vires mihi prorsùs deficere lubentissimè fatear; tamen æquis rerum arbitris, quales omnes vos arbitror, & æquissimè veneror, laudabitur, quod spero, tùm ad istum ingressum, tùm & omnia cætera, quæ ad ipsam hanc Spartam, cum quantulacunque posthàc dignitate non dicam ornandam, nedùm ad qualemcunque splendorem exornandam; sed non prorsùs indignè obeundam conducent, cum decentissimâ ad hæc contentionē promtissima Voluntas: Nunc, ut primi me voti mox compotem gaudeam, selegi huic primo ex hâc cathedrâ sermoni materiam Nostrûm omnium quidem oculos

los

los & autes ferè indies occupantem & in vulgus notissimam; veruntamen paucissimis vix leviter cognitam, nedùm ulli perspectam; pro ingenii nempe modulo *illustrissimam hodienùm inter Aulas Cæsaream, & Pontificiam, tùm & Ducem Mutinensem, super nobili Dynastia, vel si mavis Comitatu Comacchiano* ferventem Controversiam primis saltem lineolis, semihorulæ angustiâ plura non admittente, delineaturus. Patiemini, Auditores quaquaversùm colendissimi, ut, quandoquidem hic sermo summorum profectò, quæ supremos, de Jure in hunc ipsum Comitatum hinc inde prætensô, Europæi Orbis Principes, tantis hactenùs animis tenet occupatissimos, dubiorum plenissimus, ceu corpus quoddam comptæ orationis vestræ expectationi respondere non potest; tamen umbrâ saltem suâ non prorsùs displiceat.

Comachium Civitas, quæ circa finem seculi decimi sexti, Anno nempe M. D. XCIIX Duci *Cæsari*, ad id temporis tranquillâ eandem possessione tenenti, à *Clemente VIII.* Tyberino tùm Præsule, suasore & duce Cardinale Aldobrandino subitò motâ lite erepta fuit, sita est in Lacu, ubi Eridanus Fluvius, in duas divisus partes, se in mare demùm Adriaticum exonerat: Civitas ex piscium, præcipuè anguillarum, singulari inter Italos pretio, abundantiâ, famigeratissima: olim à Longobardis, pòst etiam à Venetis aliquoties diruta; sed & toties singulari, è suis ruderibus, felicitate, ad splendorem restaurata, satis amplo territorio & peculiari gaudet districtu; quem &, præter plures alias nobilissimas dotes, salinæ cumprimis beant copiosissimæ, quibus tamen ejus incolæ plenô commodô frui, per invidiam Pontificum & Venetorum, ne ipsorum Salinæ,

quas

quas Cerviæ & alibi fœcundissimas alunt, detrimenti quid caperent, nunquàm potuerunt. Hanc igitur Civitatem, & Comachiensem, quem appellant, Comitatum ex quo Carolus M. fusis pulsisque diuturnis Italiæ detentoribus Longobardis, totius Italiæ nobilissimum Regnum gloriosus ubivis & verè augustissimus Victor superavit, neque Græco eandem, quantumvis urgenti, Cæsari restituit, suo pariter dominio feliciter subjecit, (*a.*) & subjectum, cum secutis Italiæ Regibus, constanter retinuit: Hincque illa *Adelhaidi Ottonis II. Cæsaris Matri* in dotem assignata; (*b.*) deinceps verò *Archi-Episcopis Ravennatensibus* sub nexu & jure feudali concessa, per continuam indè seriem subsecutarum Imperialium investiturarum, *Henrici* præprimis *II.* & *IV. Friderici* item *I.* & complurium aliorum, autoribus Rosso, (*c.*) Ughello (*d.*) & aliis, in tranquilla illorum potestate remansit. Ex quo verò, ætate *Friderici II.* inter illas, Italiæ non magis, quàm Germaniæ fatales & exitiosissimas turbas, in duas utriusque Principibus factiones, Guelphorum & Gibellinorum, distractis, durum telum Necessitas, ut spontaneâ semetipsos à proximo excidio deditione eximerent, universos adigeret, dùm semper potentior alios graviter lacesseret, etiam Comachienses, suis rebus consulturi, Anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, *Guidonem de Polenta*, per id temporis præcellentem Ravennæ Dynastam, Defensorem elegerunt. Po-

C lent-

(*a.*) Paulus Diaconus, in lib. de Metens. Episcop. & Eginhardus in vita Caroli M.

(*b.*) Rossus in Histor. Ravennat.

(*c.*) Histor. Ravennat. lib. V. & VI.

(*d.*) Ital. Sac. Tom. II ibi: Investituram concessit multorum Comitatuum istius Provinciæ Ubaldo Archi-Episcopo Ravennatensi, ut Vasallo Cæsareo, concedendo illi, inter alias terras, Comitatum Comaclensem, SALVO JURE IMPERII, in præsentiâ Azonis Marchionis Estensis.

lentanis verò, posteà Tyrannidem affectantibus, teste Rosso, (e) excussis, novos sibi Protectores anno jàm, post millesimum, trecentesimo nono, quæsiverunt *Estenses*; quos &, graviter reclamantibus tùm Polentanis, tùm Ravennatensibus, variè desuper disceptantibus, denuò anno millesimo, trecentesimo vigesimo quinto, per Matthiolum suum Syndicum, speciali ad hoc tanti ponderis negotium, quod Litera Instrumenti deditionis (f) disertissimè recitat, mandatô instructum, an injuria, an jure? nostrum non est dirimere, sibi statuminarunt. Comacchii Dominium ità nacti Estenses, & quietô per aliquot lustrorum decursum, regimine freti, feudalem ejusdem investituram ab Imperatore *Carolo IV.* sartis tectis præstandis Imperii Juribus in Italia distento, nullo, ullo ex angulo, legitimo contradictore præsente, facilem obtinuerunt; subsecutis temporibus ipsis nunquàm denegatam; sed continuâ serie, eô tamen discrimine, ut Dux Cæsar, ejusque in Regimine Successores, tantùm de Jure (ut loqui amabant, sed ægerrimè ferebant Pontificis asseclæ.) investituram obtinere valuerint, eousque indultam. Posteaquàm enim Clemens, quem diximus VIII. laudato Cæsari Estensium Duci inclementer nimis motâ, de illustrium

nata-

(e) Histor. Ravennat. lib. VI.

(f.) Instrumenti hujus, die 6. Febr. Ferrariæ Ao. 1325. dati formalia hæc sunt: Dominus Matthiolus, Filius quondam Domini Zanthoni de Civitate Comacli Syndicus, Actor, Procurator, & Nuncius specialis Communis Universitatis & Hominum Civitatis Comacli &c: Syndicario & Procuratorio nomine &c. dedit, concessit, & transtulit Illustribus & Magnificis Dominis, Dominis Rainaldo, & Obizoni fratribus, DEI Gratia Estensibus & Anconitanis Marchionibus &c. totum plenum & omne Dominium dictæ Civitatis Comacli &c. cum plena potestate, & Baylia, cum mero & mixto Imperio, & omni Jurisdictione.

lium Veritate, quæstione, sub obtentu extinctæ, ex illustrissimâ Estensium Prosapiâ, legitimæ Sobolis, simùl Ferrariensem & Comachii Comitatum, justô audaciore potestatis plenitudine, Apostolicæ, quam venditant, sedi ipsemet assereret, coactæ hinc Copiæ, quibus, auspice laudatô jam Aldobrandinô, latâ prius sententiâ, non minùs, quàm toto Processu, informi, & ne quidem Estensibus, quod insignis illorum dierum Historicus Morosinius recitat, communicatâ, Ferraria simùl & Comachium occupata, structæ Cæsari, Pontificibus, per multa tempora solennes, insidiæ, tentata fides ministrorum, Sancti Patris benedictio atque liberalissima peccatorum remissio illis omnibus promissa, qui & Cæsari Duci, & Cæsari Romano, legitimo ipsius, per nexum dominii directi, Patrono, arma objicerent, vibrata anathematis, & majoris, quam clamitant, Excommunicationis, tunc magis, quàm Hodiè, tremenda fulmina. Tremefactus his Cæsar, aliàs impar viribus, & his sufficienti Rudolphi II. funestissimô cum Turcis tunc bellô distenti, auxiliô defectus, quod armis non poterat, erudito cordatorum calamo supplere, & tùm sacri Imperii, tùm & propria Jura, per solennissimas & simùl solidissimas deductiones atque protestationes in vado & tuto locare fategit, identidem rogitans, ut, quæ Aldobrandina violentia & injuria sibi eripuisset, sanctissimi Clementis, imò Christi vicaria, clementia redderet. Verùm surdis hæc omnia, à secutis quantumvis Estensibus Ducibus, submississimè non minùs, quàm justissimè repetita. Repetita præprimis & à Cæsare *Matthiâ*, Pontificem Paulum V. ut suum Imperio, eousque usurpatum, nobilissimum Feudum, & Fructus exindè perceptos red-

deret, enixiſſimè adhortato; quorum etiam veſtigia omnes porrò ſubſecuti, usque ad Ferdinandum hujus nominis II. Auguſti preſſerunt. Iſte verò glorioſæ memoriæ Princeps *Ferdinandus II.* in ſolicitâ Jurium Eſtenſium indagine, graviſſimis rerum argumentis edoctus, *legitimum inter Alphonſum I. & Dominam Lauram* (In hoc namque iſtius controverſiæ cardo ſolitariè ferè reſidet) ***connubium***, ante obitum, ſolenniter initum, ſicque omnes ex iſtâ ſuſceptos Filios, per legitimi iſtius connubii nexum, naturales ſimùl & legitimos redditos, ad feudalem in Comachio ſucceſſionem ipſis viam patere, & per artes Papæas de minùs legitimis illorum natalibus ſparſam anteà famam à vero alienam eſſe, probè deliberato publicavit Decreto, (g.) Fuit enim Dux Cæſar, à Pontifice, quod diximus, iſto Comachienſi Dominio ejectus, *Alphonſi I.* ex tertio hujus thalamo, cum *Laura Euſtochia*, ſatis quidem obſcuræ, ex Ferrarienſi Pilcario, originis; ſed virtute & ingenio nobiliſſima Fœmina, quam laudatus Alphonſus, fato functâ ſecundâ ſuâ Conjuge Lucretiâ Borgiâ, eximiâ tùm formæ, tùm & vitæ inter omnes commendatiſſimæ elegantiâ captus, amicam primùm, duobus ex illa, Alphon-

(g.) Decreti hujus ab Imperatore Ferdinando II. anno 1629. publicati formalia hæc ſunt: Plenè edocti, & ex variis literarum monumentis, certisque rerum documentis certiores effecti &c. quòd D. Alphonſus, per Matrimonium inter præfatos Ducem Alphonſum I. & Donnam Lauram illius genitores celebratum, verè legitimus evaſit, & hoc etiam reſpectu filius ejus legitimus & naturalis Cæſar Eſtenſis &c. ad ſucceſſionem Feudorum Imperialium admiſſus fuerit, falſamque fuiſſe, & eſſe, & ab omni Veritate alienam famam de præfati D. Alphonſi illegitimitate diſſeminatam &c. tenore præſentium ex certa noſtra ſcientia, animoque benè delibrrato, ac ſano & maturo accedente conſilio, nullo juris vel facti errore interveniente, motu proprio, ac omni meliori modo, prædicta fuiſſe & eſſe vera recognoſcimus, & ad perpetuam rei memoriam decernimus, ac declaramus &c.

Alphonsô nimirum, quem dicunt secundô, & Alphonsino, pronatis Filiis, deinceps verò ut tertii thalami legitimam Sociam, solenni cum illa, anno millesimo trecentesimo trigesimo quarto, connubio inito, elegit & habuit, sicque illis suis Filiis, per hoc subsequens matrimonium, ad quoscunque effectus, legitimis redditis, pronatus & satus legitimus Nepos; quem, extinctâ Lucretiæ, ex Alphonso II. omni masculâ Prole, idem ille Dux Alphonsus, Herculis II. Filius, legitimus in istis ditionibus Successor, successorem & ipsum, tanquam proximum Agnatum, & ex Laura Alphonsi I. Nepotem Primogenitum, constituit, & Populus concordi suffragio recepit. Horum itaque natalium, & successionis in Comacchiensi Dominio justitiâ justissimè permotus, Augustissimus Imperator *Josephus I.* quem dextera Domini potenter statuminet! dùm, victrices in Italiâ suas aquilas circumferens, ultra Seculi decursum usurpatâ illius possessione Pontificem exuit, & *Reinaldum, modernum Estensium Ducem*, in Cæsarei hujus Feudi possessionem, per veram, realem, & naturalem investituram, rarissimâ felicitate restituit, Pontifex, quo est in talibus ingenio, inanem & vanam sine viribus iram, vaniora de fœdere, contra Cæsarem, cum cæteris Italiæ Principibus pangendô, somnia, vanissimas grandiloqui de nescio quibus ex Galliâ suppetiis Torçii promissiones nimis serâ seu Phrygiâ sapientiâ perpendens, eò tandem pudoris redactum se vidit, ut nolens volens cum invictissimo nostro Cæsare convenerit, quòd & Pontifex & Cæsar, cum Duce Estensi, eligendis communi consensu *Arbitris* sua Jura submittere, & posthac publicando illorum Laudo, seu arbitrali, quam dicimus, sententiâ finaliter contentus Victus victori cedere debeat.

Audiamus utriusque Partis ratiocinia, quibus quælibet obtinendæ à se victoriæ spem hactenùs superstruit. Palmarium aulæ Romanæ præsidium ex eo petitum, quòd Dux Cæsar, ceu Filius solummodò naturalis, seu ex concubinariâ consuetudine oriundus, ob hunc ipsum illustrium natalium defectum, Feudorum non capax, nec ad successionem tùm in Comacchiensi, tùm in cæteris Dynastiis adspirare valuerit. Huic totius suæ machinæ angulari velut lapidi pro virili firmando omnem porrò movent lapidem, ut Lauræ cum Duce Alphonso I. nexum connubialem non in dubium saltem vocent; sed & prorsùs à legitimi connubii honoribus alienum commonstrent: hinc provectam jam Ducis Alphonsi ætatem; tùm & Ducis supremum, Testamentô primùm, dein etiam Codicillis ordinatum elogium, quô utroque nec Lauram, nec ex illâ susceptam geminam masculam sobolem, ut legitimam ab illo Uxorem & Prolem, in oculis habitam speciosè obtendunt; & non ipsam, utut Matrem, sed alios iisdem his liberis Tutores ab illo præfectos; hôc ampliùs Eandem nec, diu quantumvis post obitum Alphonsi, fatô pariter defunctam, honorificæ & splendidæ Estensium, in templo Monachorum Tersanctissimi Salvatoris nostri corporis sepulturæ illatam; imò denique nec in tabulis Estensis Domûs genealogicis â Paulo Jovio, Giraldo, Sardo, & aliis relatam; sed potiùs ab illo Gallorum Livio veridico Thuano, & Offato Cardinali totam Cæsaris Ducis Lineam ex radice omninò infectâ profectam verissimè asseverari contendunt. Et, ne quid audaciæ intactum relinqueret parasitica pro Pontifice scribentium audacia, etiam ab antiquissimæ longè, Thuani elogio, (b) & illustris-

(b) Histor lib. 1. pag. m. 21.

lustrissimæ Atestinorum seu Estensium Domûs contemtus non planè intactas cohibuit manus, illos seculo adhucdùm decimo tertio vix nobiles Cives Paduanos appellitans, qui Ferrarienses suæ etiam potestati, nullo jure subnixi, subjicere tentaverint; qui Pontificibus omnia debeant, dignitatem præcipuè Marchionum Anconæ; nihil Imperatoribus: qui denique & annuam, pro Pontificii, nescio cujus, Dominii, à se suspiciendi, recognitione, censûs tesseram debeant. His, cum aliis, præsidiis instructum Clementem Civitatem simùl atque integrum Comitatum Comacchiensem, tanquam Feudum, cum Duce Alphonso II. totius, ex justis Estensium connubii oriundæ, Prosapiæ finitore, finitum, & ad Ecclesiasticum Patrimonium reversum, jure pleni dominii, per armatam quantumvis autodicen, vindicasse, & injustum illius aliquamdiu detentorem Ducem Cæsarem jure optimo exturbâsse, magnis animis adstruunt. Illam verò à Sede Apostolicâ pendulam, *feudalem* nimirum, *Comacchii qualitatem* ex famosissimis illis Donationibus, seu quas dicere malunt, à *Carolo Magno* Ecclesiæ factis, & prolixâ porrò serie, per Cæsares confirmatis, Restitutionibus, quibus etiam Comacchiensem, cum Districtu, Civitatem, insertam contendunt, derivare nituntur. Ità namque Hadrianum Pontificem Max. à Magno illo Carolo, ex annalibus, quos efferunt, flagitasse obtendunt, ne quid contra *Holocaustum*, Sancto Petro à Patre Pipino oblatum, & ab illo largissimè non solùm confirmatum; sed & auctum, moliretur. *(i)* Sic & idem Adrianus Civitates Ecclesiæ, *sub integritate*, *(k)* quod vel maximè urgent, à Carolo donatas (Quô eodem

(i.) Vid. in Cod. Carol. Epist. 85. & Ep. 49.
(k.) dict. Cod. Carol. Epist. 77.

dem elogiô etiam Pium ejus Filium Ludovicum insigniunt) in Epistolis Codícis Carolini deprædicant. Et ut magis in rem præsentem veniamus, indè etiam Johannem Pontificem VIII. à Comite Berengario & Duce Foro Juliensi, *(l)* ut auxiliares Comacchiensium Episcopo manus præberet, ne censûs Apostolicæ Cameræ debiti à rebellibus, quos increpat, & immorigeris Civibus Comacchiensibus, per plures jam annos, temerè denegati, illô etiam annô jacturam faceret, rogitâsse recensent. Accensent his Dandalum, haud incelebrem inter Venetos historiographum, qui Ducem Johannem suum Fratrem Baduarium Romam recitat delegâsse, ut Comacchii Comitatum à Papa Johanne, pro Johanne Germano suo exprecaretur. (*m*) Quid? quòd etiam Johannes XXII. etiam ipsum Ducatum Ferrariensem Atestinis, ut Vicariis, gubernandum indulserit, cujus nobile annexum quòd & Comacchiensium Civitas fuerit, tùm ex solennibus inter Ferrarienses & Ravennatenses initis Pactis; tùm ex eo cumprimis, quòd Anglicus Cardinalis, Patrimonio Petrino obnoxias Civitates solenniter visitans, ipsum etiam Comacchium adiisse legatur; tùm quòd tabulæ Apostolicæ Cameræ censuales Herculem I. Ferrariæ Ducem, eundemque Generalem, Ferrariæ & aliis ad sedem Romanam spectantibus Civitatibus præpositum Vicarium, sub hâc ipsâ qualitate Ei debitum censum persolvisse commemorent; tùm quòd Pontifex Paulus III. etiam Herculi III. Estensium Duci, semetipsum ad Ferrariam cum omnibus Civitatibus ab ipso possessis, per solennissimam investituram, conferendam obstrinxerit. Tandemq; cùm

(*l.*) in Cod. Carol. Epist. 167.

(*m.*) Ex Dandalo de his transcripta videri possunt in Historiâ Sabellici & Marcelli.

cùm etiam Julius II. ejusdem Ecclesiæ Romanæ Præsul Alphonsum I. Ducis Cæsaris Avum, salinarios in saliferis Comacchii terris reditus instauraturum isthôc jure prohibuerit, & non protinùs desistentem declaraverit rebellem, non sine insigni ad minimum colore hoc ab ipsis constanter objectum videtur, quos è diverso, per aliquot jàm secula, Atestini de Comacchio, ceu Imperii Feudo, toties quoties sibi præstitos Imperiales Codicillos, vel si mavis Feudalis Investituræ Diplomata allegant & jactitant, nec in sua Origine, nec exindè transsumtis authenticis copiis unquàm comparuisse; ut proindè & hactenùs, juxta illud πολυθρήλιτον, non esse, & non appatere, judicari ad paria, non sine ratione judicare videatur Papalis Curia. Neque planè inanis hæc ulterior illius exprobratio videtur, Civitatem, & quicquid ad Comacchium pertinet, singulari ipsorum Estensium astutiâ, dùm nulla in omnibus investiturarum antegressis breviculis ejus mentio fiat, demùm recentioribus fuisse inserta. Quibus convenienter etiam omnia cætera Cæsareæ Investituræ diplomata, Rudolphinum cumprimis, in dubium vocant, cùm indubia annalium veritas nos doceat, Rudolphum I. Imperatorem Italiam nunquàm fuisse ingressum; sed cordatè professum: Non ibo Romam: Rex sum: Imperator sum: Neque minùs pro publicâ utilitate me acturum confido, quàm si Romæ solennissimè fuissem coronatus; & de illo productum primum Diploma de anno millesimo, ducentesimo, quinquagesimo sexto, multis annis sit antiquius, quàm ipse Imperii fasces tractaverit. Crescitque suspicio contra hanc Rudolphinam, atque alias nonnullas Investituras, quòd in plurium aliorum Imperatorum investituris altum de Dynastiâ Comacchiensi, apud classicos autores, occur-

rat silentium. Quod ex eo processisse porrò clamitant Romanenses, quòd Jura Papææ in Comacchium Sedis ipsis Imperatoribus, & cordatis ipsorum Consiliariis liquidissima fuerint. Et ut alia complura sipario involvamus, tandem etiam novissimum Præscriptionis Præsidium implorant, Cardinalis Bellarmini famoso dicterio, (*n*) quòd & per latrocinium quæsita Regna in legitima, suo tempore, imperia transeant, animosè confisi.

Nullus dubito, Auditores undique honoratissimi, quantumcunque ista omnia incrustata videantur; tamen omnes jam mecum persuasissimos vos esse, sacratissimum nostrum Cæsarem, pro Imperio, cui hactenùs gloriosus ubivis moderator præest, directum Comacchiensis Dominii dominium longè efficacioribus veritatis præsidiis suffultum, prætendere, imò recuperâsse, quàm ut ista Papalia terriculamenta electos à Partibus cordatos Arbitros eò sint redactura, ut jurare sustineant: Nobis non liquet. Resecemus primò omnium hanc velùti sacram Pontificiæ causæ anchoram, quam ex minùs legitimis Ducis Cæsaris natalibus constructam audivimus. Dux Ferrariensis Alphonsus I. Laurentiâ Borgiâ, Alexandri VI. Pontificis Filiâ, quam, ut rerum suarum saluti consuleret, auctore Thuano, (*o*) matrimonio sibi junxerat, tandem fato abreptâ, ***Lauram Eustochiam***, ***La Bertára*** inter omnes, à Patre Beretario, cive Ferrariensi, id nominis sortitam, quâm illustris Italiæ historiographus, Augustinus Faustini, (*p*) ab eximiâ non minùs faciei venustate, morumque gratiâ, quàm ab incomparabili mentis benignitate, atque humilitate, & Leander Alberti (*q*) ab

(*n*) de Roman. Pontif. lib. 5. cap. 9.
(*o*) Histor. lib. 1. pag. m. 21.
(*p*) in additam. ad Histor. Sardi.

(q) ab excelsi ingenii prudentia commendat, ut *Amicam* primùm, per aliquot annos, neque alio duos filios ex illâ susceptos, *Alphonsum*, quos diximus, & *Alphonsinum*, quàm naturalium ferè, ordine habuit, sic, ut illos in suo, quod condiderat, testamento nonnisi insignibus honoraverit legatis, Matremque ipsorum à tutelæ dignitate, eô tempore, excluserit. Veruntamen novissimô vitæ annô Alphonsus, satis religiosæ prudentiæ Princeps, venustissimis Lauræ moribus, & in Liberos nobilissimè efflorescentes amore permotus, priùs concubinatium in connubialem, & in Filios, hactenùs tantùm naturales, naturalis duntaxat, suis finibus circumscriptum, porrò etiam in legitimi Genitoris affectum, insimùlque filiorum, naturalium solùm, in legitimæ, seu à Legibus ad quoscunque effectus agnitæ, Sobolis statum, &, his omnibus sic mutatis, etiam suum, quod anteà condiderat, elogium, tùm Ipse mutavit, tùm & *quasi Agnatio suorum heredum* totum rupit & sustulit: Ut dehinc illustrissima atque excellentissima, post decessum Mariti, Laura Estensis, nec mutire contrà ausis in sublato Testamento creatis Tutoribus, Ipsa legitimorum, quibus ità gaudebat, suorum filiorum legitimam tutelam, à nemine turbatâ hâc honoratissimâ Administratione, laudatissimè gesserit. Firmat hanc inconcussam & immotam Veritatem totam, per illa tempora, Italiam personans veridica Fama, Dominam Lauram Eustochiam in legitimum tandem Ducis Alphonsi thalamum fuisse receptam. Confirmat spontanea Nobilium & Populi, pro more secuta, etiam Cæsaris Nepotis in Ducem Electio. Constabiliunt innumeri, in perpetuam istorum memoriam & fidem, sub

(q) in descriptione totius Italiæ de genealogiâ Ducum Estensium.

solennis Juramenti religione auditi Testes. Extra dubium eam collocant, queis illo tempore Italia claruit, clarissimi & ab omnibus æstumatissimi historiographi, & illustrium tàm coævi, quàm neoterici genealogiarum scriptores, Girolamus Faleti, Augustinus Faustini, Philippus Rodi, Leander Alberti, Abbas Cattaneus de Lindenara, Lucas de Linda, Ludovicus Morerus, Alexander Ziliolus, Majolinus Bisaccioni, Alphonsus Loschi, & ex nostris Reusnerus, Rittershusius, Imhoffius, aliique complures. Obsignat eandem authenticam veritatem sigillum Lauræ, cui hic totus Ducalis dignitatis complexus inscriptus eminuit: Laura Estensis, in Italico *Laura d' Este.* Corroborant sexcentæ ad alios literæ, Edicta, Decreta ab Eadem profecta & publicata, quibus Laura verbo: *Nos*, more Principum usa. Accedunt tot alia illustrissima documenra, libri publici juris facti, Lauræ filii primogeniti, *Alphonsi, Montecchii Marchionis* dotalia, cum Julia, Francisci Urbinensium Ducis filia, ipso Hercule II. ex Laurentiâ Borgiâ consanguineo ejus fratre, approbante & præsente, solennissimè condita, aliaque plurifaria Pacta & Instrumenta, quibus Lauræ solennes inter Italos Principes Principalis dignitatis characteres & tituli, eo tempore solennes, Illustrissimæ nimirum & Excellentissimæ, pariterque ejus filiis, ceu à Lege non minùs, quàm naturâ probatis Alphonsi Ducis filiis, ab ipso illo Hercule, aliisque quibusvis publicâ aurhoritate, & in omnium tùm auribus, tùm oculis collati: Tot ad illam, ab ipso Duce Hercule II. itemque Francisco, ejusdem Germano, Estensium Ducibus, transmissæ literæ, quibus pariter eodem honoris titulo, Ducissæ nimirum & Viduæ Estensis largissimè eandem cohonestârunt: æquè scilicet ac etiam ejusdem filios

lios idem Hercules Dux illustrissimi Principis & Fratris nomine dignatus legitur: Et quod omnia hæc superat, quòd & Ipsi augustissimi nostri Imperatores, nec minùs Respublica & Dux Venetorum, in talibus alioquin prudentissimè parci atque circumspectissimi, pro indubiè legitimis eos semper habuerunt, & agnoverunt, iisdemque, quibus ipsummet Ducem Herculem II. etiam ipsosmet honorum titulis consalutârunt. Et ut etiam de domo ipsius Pontificis prorsùs irrefragabile testimonium afferamus, etiam Johannes Angelus de Medicis, Apostolicus, per id temporis, Protonotarius, pro Romanâ Ecclesiâ Parmæ Gubernator, adeòque simùl primi ordinis in Aulâ Pontificiâ Minister, & sublimioris characteris Prælatus, pòst etiam ipsemet Pontifex Maximus, Pius scil. IV. in publicis literis ad Montechii Cives hæc, ad omnem hîc scrupulum radicitus tollendum, relatu dignissima dedit formalia, quòd plures Parmenses Cives & incolæ, in Montecchii districtu, ad illustrissimos Dominos Fratres Excellentissimi Ferrariæ Ducis pertinente, sibi retulerint, quantâ facilitate & benignissimâ propensione *illustrissima Domina Laura Estensis, Mater illorum & Tutrix*, Cives istos suorum votorum & precum reddiderit compotes. Jurare ausim, Auditores incluti, si hæc tanta Veritatis, suis radiis omnia dispellentia documenta æqui animi arbiter, historiæ præsertim subsidio instructus, levi brachio tetigerit, tantosque in simpulo Papam fluctus movere animadverterit, ipsum nostri sacratissimi Justiniani justissimâ in illos, qui Ipsius, de omnium naturalium Liberorum per subsequens matrimonium Legitimatione, ipso Sole clariores sanctiones nihilominùs in nova semper dubia vocarunt, invectivâ usurum, quòd, ut ille in Novellâ decimâ nonâ

 con-

conqueritur, poſt tot ſuas claras, de his conditas, Leges, audaci tamen mente, Ipſius mentem & Legislationem abſurdè & malè quosdam interpretari; ità etiam in propoſito, poſt tot Veritatis, & legitimi omnium, qui poſt Alphonſum I. vixerunt, Eſtenſium Ducum ortûs demonſtrationes, nihilominùs Pontificiæ cauſæ Patroni huic meridiano Soli, inani molimine, oggannire ſuſtineant. Eluceſcet ejusdem judicii juſtitia evidentiùs & adhuc eminentiùs ex eo, ſi & ipſam *feudalem Comacchii Qualitatem, Romano Imperio id devincientem*, ità ſtabiliamus, ut, omnibus illorum argutiis proſtratis, collapſa ruant ſubductis cuncta columnis. Illa prima omnis ævi, contra inſatiabiles Pontificiæ Aulæ Prætenſiones, exprobratio nec Noſtrûm quemquam fugere valuerit, quòd, ad fidem, prætenſis Regis Pipini; & Caroli M. donationibus, imò Reſtitutionibus, quas dictitant, faciendam, ſola tanti momenti & ponderis Diplomatum *Originalia*, ſufficere valeant; nec ad iſta evincenda vel Anaſtaſii, vel Græcæ Copiæ, quas cum aliis pluribus, Pio Caroli Filio Ludovicô adſcriptis, etiam ipſi cordati, quod Antonius Pagus *(r.)* annotat, Pontificii non majori hactenùs pretio habuerunt, quàm illas fabuloſas Conſtantinianæ donationis tabulas, quas aliter Græcæ, & aliter Latinæ referunt editiones, atq; inter Latinas aliter Gratianus, aliter Iſidorus Mercator, aliter Conciliorum Colonienſes collectores; porrò aliter, inter Græcas, Marquardus Freherus, aliter Balſamon refert, & denuò aliter Julius Cæſar Bulengerus, vel hilum conferant. *(rr)* Et, ut alia plurima, tantilli temporis penuriâ præcluſus, ſicco pede prætercam, quis tàm rudis & crudus in hiſtoriâ hoſpes fuerit, ut neſcire non pudeat, quòd etiam

(*r.*) Annal. Baron. ad ann. 817. v. 7.

(*rr*) in commentar ad Ottonis III. Donation. in præfat. Addat. Beſoldus, politic. lib. 2. cap. 2. §. 3. n. 20. v. 1. Jac. Cappellus, de Sedis Rom. potent. lib. 1. cap. 15.

etiam post istas Carolinas, & cæteras, seu Donationes, seu à Magno Constantino factæ donationis Restitutiones, omnes nihilosecius Francorum Reges omnimodam & plenam in quosvis Status, Dynastias & terras Longobardis ereptas, Pontificibus nec contrà mutire audentibus, jurisdictionem exercuerint & habuerint? Sed & gratis Pontificem sancto Petro oblatum *Holocaustum* oggerere, & quòd sanctæ Ecclesiæ à Principibus donata *cum Integritate* donata fuerint, vel ex hoc veritatis historicæ meridies pridem reddidit apertissimum, quòd & ipsi Pontifices, ad quantamcunque jamdùm potestatem latenter grassantes, tùm Carolingorum, tùm & plurium secutorum, non minùs summorum, Imperii Romano-Germanici Principum, sive Imperatorum potestati paruerint; tantumque, in totam, cum Roma, Italiam, potentiæ, optimo, in omnibus, jure sibi tùm vindicaverint invictissimi nostri Cæsares, ut verissimè nemo illud: Cæsar, quid facis? vel mente concipere, vel contra mussitare, & nec ipsi, per multa porrò tempora, Pontifices propè hiscere ausi fuerint. Ita ipse in sanctam illam matrem Ecclesiam tàm munificus (scilicet!) ac profusus donator Carolus M. suos Romam Legatos tantâ auctoritate instructos misit, ut, Du-Cangio (s.) autore, erecto Tribunali, exuberantissimam in jure reddendo, effectui dandis suis propriis judicatis, & oppressionibus populorum relevandis, potestatem exercuerint. Ità non solùm Pio ejus filio Ludovico, quamprimùm Stephanus Pontificiam dignitatem adeptus fuerat, omnem Populum Romanum, sub jurisjurandi religione, ipse fidelitatem polliceri adegit: (t.) sed &, cùm Leo III. recitante Andel.

(s.) in Glossario Latino Add. P. Mabillion. de re diplomat. lib. 6. pag. 531.
(t.) vid. Historia Tegani.

Andelmo, in graviſſimam Criminis, quòd, juſſu ipſius, aliqui Nobiles Romani neci fuerint traditi, ſuſpicionem incidiſſet, ille, Cæſari ſupplex factus, iſtas ſuſpiciones, per ſuos Legatos, humiliter diluere neceſſum habuit. (u.) Ità porrò ad eundem Succeſſor Leonis Gregorius Pontifex à ſententiâ, in Causâ Monaſterii de Farvâ, per Joſephum & Leonem, Ludovici Legatos, adverſus ipſum pronunciatâ, etiam Provocationis, ceu ad ſuum indubium Superiorem, beneficio uſus legitur. (w.) Et quem fugiat, ſub Paſchali Pontifice Maximo etiam Cæſari Lothario omne Populum Romanum imperium in ſe & poteſtatem reſignaſſe pleniſſimè, Urbiſque Primates ſolenniſſimùm eidem ſubjectiſſimæ fidei juramentum præſtitiſſe? Succeſſorem Leonem, quod ex ipſo Gratiani decreto pateſcit, in quibuscunque incompetenter aliquid geſſiſſe, neque juſtæ in ſubditis legis tramitem ſervâſſe convinci valeret, ejusdem Lotharii Cæſareô judiciô ſeſe emendaturum devotiſſimè promiſiſſe? imò tantum in ipſos Pontifices potentiæ auguſtiſſimos noſtros Cæſares, jure, ſibi ſumſiſſe, ut Pontifices propemodùm pro arbitrio mutaverint, ut vel ſolus Imperator Henricus III. Clementem II. Damaſum II. Leonem IX. & Victorem II. Pontifices creaverit; Otto I. Johannem XIII. qui etiam in Sathanæ ſanitatem potum hauſerat, & Benedictum; Henricus III. Benedictum, Sylveſtrum, omniumque, quos unquàm Sol adſpexit, Pontificum, quem Hornius (x.) nuncupat, ſceleratiſſimum, & ſanctum Sathanam Petrus olim Damianus, (y.) famoſiſſimũ illum Gregoriũ Hildebrandum; Henri-

(u.) Andelmus, in Annal. Regni Franc. ad ann. 815.
(w.) Duchene Tom. 3. pag 656.
(x.) in Orbe imperante, can. 6. num. 4. fol. 12.
(y.) Wolffius, lection. memorabil. centenar. XI, pag. 289. & ſeqq. ubi vita hujus monſtri copiosè deſcribitur.

Henricus V. Pontificem Paschalem; Ludovicus, quem Bavarum satis ignominiosè nugacissimi Pontificis Adulatores vocant, Johannem XXII. alii alios cum dedecore prorsùs exauctoraverint? ut innumera alia nec digito tangamus. Et ipsas illarum, quas Pontifices venditant; sed ad Græcas fortasseàn Calendas probabunt, Donationum Confirmationes ecquis nesciat à secutis Imperatoribus, Ottone præcipuè Magno, seu Primo, & Henrico II. salutari hâc Clausulâ fuisse munitas: *Salvâ in omnibus Potestate nostrâ, & nostrorum Posterorum?* Ex quo optime Sigonius (z.) per hæc adhuc tempora Pontificem Romam, Ravennam, cum aliis Italiæ ditionibus, magis authoritate, quàm imperio, tenuisse; Civitates Pontificem, saltem ut Christianæ Reipublicæ Principem; Regem verò ut summum suum Dominum intuitos, ei soli tributa & obsequia præstitisse, expresse testatur. Et ex ipso hoc fonte plenæ Cæsarum in totam Italiam potestatis etiam illa de ejusdem ditionibus disponendi ferè illimitata facultas processit. Indè namque Imperator Conradus I. Gebhardo Ravennæ Archi-Episcopo Comitatum Faventinum liberaliter concessit. Hinc, Hermanno insigni Historico authore, (aa.) Henricus III. Neapolim, Capuam, atque alia nonnulla, sub ipsis illis, quas Pontifices Ecclesiæ factas obtendunt, donationibus comprehensa castella, aliquandiu rebellantia, armatâ in ordinem manu redegit, legesque pro suo arbitrio dedit, per id temporis in his locis commoratis Nortmannis Duces præfecit. Ipsam verò *Civitatem Comacliensem in feudum*, cum aliis Vicinis Civitatibus, Henricus IV. Archi-Episcopo Ravennatensi solenniter concessit; quam concessionem Fridericus quoque I. omnibus Imperii Vasallis adesse jussis, solenni

E ritu

(z.) de Regno Ital. lib. VII. Addas Otton. Frisingens. lib. 2. de reb. gest. Frider. I. Imper. cap. 12.

(aa.) Contract. Chron ad ann. 1047.

ritu denuò confirmavit. Ex quo verò Comacchii Cives & incolæ in *Estensium* potestatem primùm concessère, *Rudolphus I.* Tri-Regiæ nostræ Austriacæ Domûs auspex fortunatissimus, per Imperialis suæ aulæ Cancellarium, atque Imperialem in Romania Vicarium, sibi cognominem, ad repetenda Imperii Jura in Italiam missum, anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, ipsis primitùs Estensibus, nuncupatim *Obizoni* Ferrariæ Domino, Comachium in feudum Imperii contulit, Cancellario Rudolpho Cæsaream potestatem, ut Rinaldus advertit haud ignobilis illius seculi Scriptor, ità comiter in quosvis exercitando, ut Juramentum fidelitatis extorqueret à nemine; sed ubivis à sponte præstantibus reciperet. *(bb.)* Ab hoc ipso verò tempore hunc Comacchii Comitatum Atestini à Cæsare Carolo IV. *(cc.)* Anno post millesimum trecentesimo quinquagesimo quarto, & denuò, mortuo Aldobrandino, Capite Domus Estensis, sexagesimo primo; à Sigismundo anno millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, ejusdemque hujus Seculi decimi quinti quinquagesimo secundo, & nonagesimo quarto anno à Friderico III. & Maximiliano I. ab eodem denuò, ut & à Ferdinando I. & Maximiliano II. in annis Seculi decimi sexti nono, quinquagesimo octavo, sexagesimo, & sexagesimo quinto, omniumque novissimè ab Imperatore Rudolpho II. ejusdem hujus seculi anno septuagesimo septimo, & nonagesimo octavo, quô ipse *Dux Cæsar* POSTREMAM REALEM de totô districtu Comacchiensi investituram recepit; nullâ unquàm ab ullo Pontifice motâ obmussitatione, nedùm recti sibi consciâ contradictione, tanquam indubitatum Sacri Romani Imperii Feudum, in tertium seculum semper retinuerunt.

(bb.). Rinaldus, in Annal. Eccles. ad ann. 1279.

(cc.) Cujus primæ Investituræ Aldobrandino, Nicolao, Fulconi, Ugoni & Alberto Marchionibus Estensibus Mantuæ concessæ formalia hæc sunt: Concedimus etiam nostra munificentia Regali ipsis fratribus & eorum heredibus & successoribus per Nos, Nostrosque successores in perpetuum, Jure nobilis Feudi, dictum Comaclum, sive Terram Comacli, Valles, terram cultam & incultam, nemora & buscos, Venationes & Sylvas, Piscationes & aquas salsas & dulces, dictæ terræ Civitatis Comacli ejusdem Diœcesis, sive Territorii, cum omnibus aliis & singulis connexis, & dependentibus ab eadem, cum omni honore & jurisdictione, districtu & dominatu, ac mero & mixto Imperio, & Bayna &c.

runt, Porrò, iſtam Civitatem nullô unquàm ad diſtrictum Ferrarienſem ſpectâſſe tempore, Johannes Franciſcus Ferri, (*dd.*) & Girolamus Roſſius, (*ee.*) inter Italos claſſici authores adſtruunt: Nulla namque Comacchii in tractatibus Venetorum & Ferrarienſium fines definientibus mentio injicitur. Neq; unquàm vel usquàm Privilegium à Bonifacio IX. Comitatui Ferrarienſi indultum ad Comachienſem porrectum occurrit. Nec à fines laudati Ferrariæ Comitatûs ſollicitè ſignante Peregrino Priſciano (*ff.*) hæc eadem Civitas, Comachium puta, vel verbulo tangitur. Imò ipſos Pontificios, eam Archi-Epiſcopis Ravennatenſibus, olim beneficiariis ejusdem dominis, ex imperialibus priùs Ravennatenſi Eccleſiæ factarum Conceſſionum Confirmationibus, ipſa vis Veritatis aſſignare adegit. Quâ igitur incuriâ, vel ſi mavis injuriâ, cenſualibus Romanæ Eccleſiæ Rationibus hoc inſeri valuerit, quòd Dux Hercules I. ut Eccleſiæ, etiam in Comacchio, Vicarius, annuum cenſum perſolverit, ipſa Herculis mors, quæ anno jam, poſt milleſimum & quingenteſimum, quinto contigerat, cùm hæc censûs ſolutio ſubſecutis demùm annis adhuc recenſeatur, ſicque craſſi, ut mitiſſimo vocabulo utar, erroris iſtas tabulas cenſuales convincat, reddit evidentiſſimum. Et quid denique inſulſius de Salinis in terrâ Comacchienſi non inſtaurandis, quòd videlicet Dux Alphonſus I. iſto Jure à Pontifice Julio II. prohibitus fuerit, afferri potuiſſet? Utique Julius hujusmodi Prohibitionem Alphonſo ſatis imperioſè intimari curavit. Sed neque Alphonſus (*gg.*) ei protinùs aſſurrexit, vel morem geſſit, nec conſiliis amicorum moveri ſe paſſus, interpoſitis ſeriis proteſtationibus, quòd de Jure Imperii & Imperatoris, tanquam ſui venerandi Domini directi, nec latum unguem cedere velit, vel valeat, ſua Jura tàm liquida contra Sedem Romanam & immota putavit, ut etiam Pontificii Ærarii Quæſtorum, quantumvis domeſtico & ſuſpecto, judicio ſe omnia ſecurè ſubjicere poſſe, cordatè reſponderit. (*bh.*) Et cùm neque iſta bonæ cauſæ fidu-

E 2

(*dd.*) Hiſtor. Commach. lib. 2. cap. 25.
(*ee.*) Hiſtor Ravennat. lib. VI.
(*ff.*) in Annal Civitat. Ferrar.
(*gg.*) Guicciardinus, lib. 9. ad ann. 1510.
(*hh.*) Jovius in Vitâ Alphonſi I.

fiducia Pontificis animum delinire valeret, tandem etiam ipse Cæsar Maximilianus I. (*ii.*) per Præconem, ad Julium hâc de causa delegatum, feriò flagitavit, ut nullas ulteriùs in Jure Estensibus procùl dubio competente moveret molestias. Et tametsi, ne tandem, sub obtentu eô tempore pronascentis Unionis Cambresiensis, (*kk.*) anathematis fulmen contra se vibraretur, haud vano tunc metu perculsus Alphonsus, in Juris salinarii renunciativum Pactum, cùm præsertim & ipsi reciproca quædam commoda cederentur, denique consenserit; tamen nihil hinc Juris, quàm ut hanc negativam, Salinas nimirum non adornandi, suis terris servitutem imposuerit Alphonsus, ad Pontificem redundavit: Neque ullam, hoc Pacto, dominii in Comachio vel particulam acquisivit. Imò, cùm repetitis suis Protestationibus, se haudquaquàm Pontifici; sed Imperio & Cæsari vasallagii nexu devinctum esse, inconcussâ constantiâ insisteret Alphonsus, & nil validi vel sapidi Julius istis regereret, tantum abest, ut inde Pontificiæ sedi quidquam juris accreverit, ut potiùs Imperii & Cæsaris Jura tanto plus indè roboris atque auctoritatis adepta fuerint. Illa suavia Pontificum de Imperialibus Investituris, quasi nempe Comacchium nominatim in illis haud compareat, somnia ipse Sol Veritatis, quam constans Estensium per integrum retrò Tri-seculum assertio nobis promittit, instar fumi dispellet, & ex pluribus authenticis, nihil dubitationis, tanquàm indubitatis Cæsarum idiochiris, admittentibus diplomatibus, etiam istam unà impudentem pro Pontifice scribentium audaciam, quasi ista insignis Estensium feudalis à Romano Imperio Beneficii Portio, Comachium videlicet, clandestinâ demùm ipsorummet Cæsarum (horrendum dictu!) & Estensium Ducum astutiâ recenter inserta fuisset, ad pudorem dissipabit, retundet, prosternet; tantoq; potentiùs prosternet, retundet, & radicitùs dissipabit, quo potentiùs Pontificum ferè propria tela in ipsorummet cervicem licebit retundere, hæc præcipuè, *quòd*, tempore Comacchii à Clemente VIII. sumtæ Possessionis, Ducis Cæsaris Ministri ipsius Jura cum curâ deduxerint; potentissimo argumento, quòd

(*ii.*) Guicciardinus Hist. lib. 9. ad ann. 1510.
(*kk.*) Jovius in Vitâ Alphonsi I.

quòd & istos authenticos totuplicis Cæsareæ Investituræ semper inter tot nobiles probatasque Personas, quibus Aula Cæsarea, inter talia Solennia, splendidissimè scatet, solennissimè factæ, codicillos produxerint: *Quòd* Clementis Ministri, Angelone auctore, Atestinis exprobraverint, Alphonsum II. ejusdemq; autores sive Prædecessores semper investituram de Comacchiensi Civitate & terris, *ab Imperio & Cæsare*, & nunquàm à Sede petiisse Romana: quâ, per irrefragabilem vim veritatis, imprudentibus extortâ, Veritatis plenissimâ confessione, quid pro ista feudali Comacchii qualitate, ab Imperio & Cæsare toties quoties exoratâ, dici poterat apertius, exertius, certius? *Quòd*, cùm etiam inter Clementem VIII. & Alphonsum I. Ducem lis exarsisset, pariter omnia istarum investiturarum Cæsarea diplomata, quibus etiam Comachium nuncupatim insertum, pro docendis Estensium, ex Imperii Beneficiô, Juribus in Mutinam, prægloriosissimi Cæsaris Caroli V. Commissariis proposita, atque ità multoties Pontificum oculis exposita fuerint; ut profectò, si illa non ipsi omninò perspexissent immota & invulnerabilia, pro superstitiosâ illius adhuc seculi simplicitate, & Paparum ad talia facilitate, ille Julius II. Leo X. Adrianus VI. in Alphonsum illum I. Estensium Ducem, vel hâc solâ de causâ, quòd Pontificem pro directo Comachii domino venerari generosè & constanter respueret, divinæ, quam crepant, censuræ gladium, omni dubio procul, districturi fuissent. Illud, quod de *Rudolphi I. investitura* Pontifices objiciunt, valdè debile & flebile præsidium dixeris, cùm & illud, quòd ista Investitura non à gloriosissimo hujus nominis Cæsare; sed à cognomine Ipsius vicario profecta fuerit, & crassissimum hunc typothetæ errorem, qui pro anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto, quô nempe demùm fasces Imperiales Rudolpho concrediti, ejusdem Seculi annum jam quinquagesimum sextum inseruit, pridem ipsa, velut nugas plusquàm aniles, annalium fides extra dubium posuit. Et cùm ipse deinceps Imperator Rudolphus, teste Cintio Giraldo, illud sui vicarii diploma firmaverit; Illæ verò ab omnibus porrò Imperatoribus emendicatæ Confirmationes à Romanâ Ecclesiâ audacter prætensæ Donationis Imperii juribus in Co-

macchium & cæteras Italiæ ditiones, nec hilum præjudicent: quocircà verissimè, quod spero vos omnes mecum affirmaturos, per-Illustris, quoad viveret, in Judicio Imperiali aulico Consiliarius Dominus ab Andlern, in sua, quam prodidit, Jurisprudentiâ (*ll.*): Agnoscit, inquit, & Imperium Comacchium ad mare Adriaticum, & quæ plura sunt alia in Italiâ Feuda; pro quibus recuperandis, juxta Cæsaream Capitulationem, nihil intermittitur. De Præscriptione, novissimo Pontificum, in hâc Prætensione, injustitiæ Præsidio, non attinet dicere: Cùm Estenses, & totuplex, per integrum Tri-Seculum, nullo tempore interrupta Investitura, hominumque memoriam pridem superans Possessio, & tacita Pontificum, ex tanti temporis, usque ad violentam & vitiosissimam Cæsaris ejectionem, quietissimo decursu æquissimè inducta Renunciatio tueatur, & illa præcipuè inconcussa Juris Regula, quòd ille, cui res non solùm primò tradita; sed & toties tradita, seu per toties iteratam realem & veram investituram actualiter collata, palmam omnibus præripiat.

Possem hîc primos illos, à plurimis retrò Seculis illustrissimæ Atestinæ Domûs, ad illam extremam Pontificiæ Causæ Patronorum impudentiam, qua & illam infra sui splendoris fastigium deprimere satagunt, pro merito prensandam, Conditores laudare, *Obizonem*, quem Padua, (*mm*) duodecimo jàm Seculo, ob res gestas illustrissimum, exemplo aliorum Italiæ Populorum, supremum sibi ipsi Magistratum constituit, summâ authoritate, in bellicis & reliquis, Civibus imperitantem: *Azonem*, (*nn.*) qui undecimo jàm Seculo potentissimus Italiæ Marchio eminuit; potentissimi eô tempore Italiæ Principis Guelfi Filiæ Konigundæ maritum, ab Imperatore Henrico IV. tanto pretio habitum, ut & gravissimarum Comitissæ Machtildi motarum litium ipsum arbitrum seligeret: *Guelphum IV.* ex laudatâ modò *Konigunda* illius Filium, & *Guelphum V.* illius Nepotem, (*oo*) secundô laudatæ Comitissæ Machtildi, anno millesimo octogesimo nono, connubio junctum; cujus Genitor Guelphus IV. *Guelpho*

(*ll.*) Lib. I. tit. 5. part. 6. pag. 149. & seq.

(*mm.*) Rossus, Histor. Ravennat. pag. 324. Addat. Sigonius, de Regno Ital. lib. 10.

(*nn.*) Abbas Urspergensis in Chron. ad ann. 1126. Addat. Chron. Monachi Weingardt. apud Leibnizium, de Script. Rer. Brunsvvic. pag. 781.

(*oo.*) Bertoldus Constant. ad ann. 1089.

Carinthiæ Duce vivis erepto, antiquissimæ istius Guel-
n familiæ ex asse hæres, autore Lamberto Schaffnabur-
(pp) *Bavariæ Dux* solennissimè creatus, ex illa cumprimis
ssimâ in terram sanctam expeditione, rebusque sub nomi-
nati Tarsi præclarissimè gestis, toti orbi innotuit; aliosque
ıenticis annalium monumentis illustrissimi nominis Mar-
:s, Duces, Principes, quibus non solùm modernam, ex *Ful-
i* Estensium Lineâ, ***Mariam Beatricem, Regis Britanniarum
Viduam,*** pariterque modernum Mutinensium Ducem *Rai-
ıI.*; verum etiam ex *Guelphica* Estensium Lineâ Serenissi-
runsvigo-Luneburgicos Duces antiquissimos suos debere na-
ım pridem evicit in his studiis versatissimus noster Leib-
. Sed ne vel ipsi, juxta cum Mutinensi, Cæsareæ causæ, tot
æ ponderum quaquaversùm plenissimæ, diffidere videar,
s, Auditores sapientissimi, suffragii dictione antevenire,
ırsum hîc sisto, si priùs, explosô atque exibilatô hôc, Romæ
ıi, Estensium vilipendiô, acutissimo augustissimi, modò glo-
imi, *Leopoldi* judicio ista omnia obsignavero, qui, anno jam
nè elapsi seculi nonagesimo quinto, excelsæ, quam laudat,
næ gentis decora, antiquissima sanguinis Nobilitate vix
ı in tota habentis Italia, & ex illa non solùm per eandem
n; verùm etiam per ultimas Europæ partes, ac potissimùm
ermaniam clarissimas Principum familias pronatas, penitiùs
ndens, etiam *Titulum Serenissimi*, quô nec omnes, ex nostri
ıi Proceribus, quibus tamen digniores totus orbis non alit,
ator dignatur, laudato Rainaldo Mutinensium Duci cle-
ssimè contulit. Sed rumpo vel tandem filum hujus oratoriæ
ıtationis; toti Causæ auspicatum, & quem ipsa ejusdem, si
possum judicare, justitia meretur, à justissimo Numine co-
nem exorans, & , brevissimis cum gratiis, in vota simul
ıssima desinens.

ıbi omnium primò, Ter optime Ter Maxime cœlorum arbi-
;, terrarum, benignissime Deus, me totum prosterno. Tuâ
; paterna irradiatione, quicquid hausi virtutum, invaluit: Tuâ
ıctione effloruit, succrevit, quicquid doctâ in me manu se-
minum

) Tom. I. Scriptor. Germ. edit. Pistor. Add. Chron. Weingardt. de Guelfis
pag. 784. in tomo Rer. Brunsvv.

minum translatum. Da Pater, ex quo solo fausta quævis speramus, augmenta cœptis, auxilia assurgentibus annis, & ultimæ aliquando robora manûs ad suam plenitudinem adspiranti ætati. Affunde indefluxas & porrò tùm animæ, tùm corpori, vitæ copias, in sanctissimi Tui nominis majorem gloriam, atque emolumentum Legum cupidæ Juventutis, cui si non ducem; duce tamen Teipso, fidelissimum spondeo commilitonem. Erga Te, Serenissime Domine & Dux *Eberharde Ludovice*, Pater Patriæ clementissime, ingrates nunc etiam, pro munificentissimè præprimis collatâ Professoriâ spartâ, & humillima præconia, in laudes & preces pro Tua perenni incolumitate ut ruerem & fluerem; sed & Tuam, Serenissime, & non minùs cum summis Imperii Proceribus conjunctissime Princeps Hohenzollerane, *Friderice Wilhelme*, Domine pariter clementissime, singularem in me omninò indignum eousque collatarum gratiarum multitudinem, & quâ impræsentiarum Vestris Serenitatibus hanc auspicalem Oratiunculam, per præsentem splendidissimum Vestrum Legatum, Dominum meum & Musagetam perquàm gratiosum, coronare Vobis placuit, ut prolixâ non minùs, quàm devotissimâ gratiarum actione solenniter prosequerer, ipsa Lex gratitudinis à me efflagitat. Sed dùm hisce condignè deprædicandis nec ego, nec temporis angustia sufficit, ista omnia in hanc devotissimam precum summulam mutè vocali, Vobis consecratissimi, cordis desiderio piè involvo: Ter-Sancta in cœlis cœlorum Majestas, in cujus manu tùm Principum corda, tùm & Principum actiones sunt, Vos, clementissimi Domini & Principes, cum Republicâ, incolumes, fortunatos, florentes clementissimè præstet, consilia Vestra ad finem in omnibus sibi gratum & ratum, Vobis Ipsis & Vestris, imò toti Imperio, & Cæsari gloriosum, Vestris subditis proficuum, supernitùs dirigat, & in hoc, cui tamdiu gravissimè involvimur, funestissimo bello Vos & Vestras ditiones sub umbra perennis suæ gratiæ alarum porrò tegat & regat! Hæc tuæ præprimis in terris nutanti & natanti tot inter miserias Ecclesiæ, hæc almæ patriæ, hæc omni, cum suis Principibus, Populo Würtembergico annue ô magne DEUS!

DIXI.

(o)